

NUMMUS SOCIALIS

HENRICI III. GALLIARUM ET

Poloniæ Regis: renovato cum Helvetiis & Ræ-
this fœdere: cusus Anno Chri-

sti 1582.



ENRICUS Tertius Galliarum Rex pacis tractatione ultimâ, Anno 1577. susceptâ, præcipuas aliquot regni sui civitates pignoris loco protestantibus Principibus, ne de fide sua dubitarent, ad certum tempus tradidit: elapso autem tempore constituto repetiit. Navarræus excipiens tempus quidem præfinitum effluxisse, dicebat: conditiones autem pacis non impletas fuisse, cum interea multæ tam clandestinæ, quam apertæ machinationes, pactis conventis o-

minò repugnantes ac contrariæ, innotuerint. Movit hoc Regem pacis amantissimum, ut in edicti per aliquot annos prorogationem facile consentiret: videns autem capita Ligæ ægerrimè ferre, quod Protestantibus in Gallia Principibus civitates multas concesserit, eamque ob rem alienato erga se esse animo, ad defensionem sui fœdus antiquum cum Helvetiis & Ræthis cum solennitate, percussisq; in huius rei memoriam nummis, renovavit, quo in omnem eventum operâ ipsorum uti possit. Comes Natalis.